

Adipisci suis promeritis vitam æternam.
Sed quis mortalium queat cuncta sigillatim explicare
[sermone
Virtutum merito pollet quibus etiam ille?
Miraculis floret patientia ineffabilis semper

A Minima namque ex magnis humillima de præcelsis
Tripletis nimirum versiculis, omniumque effectum
Memoriæ tradere volui exiguus ipse
Maneat ut semper ejus in compositione honoris
Omnium more nomen semperque per ævum.

ANNO DOMINI DCLXX.

CHRODOBERTUS

TURONENSIS EPISCOPUS.

JUDICIUM DE MULIERE ADULTERA.

(Vide Patrologiæ tom. LIV, col. 1424, inter notas Quesnellii in epistolas sancti Leonis Magni.)

ANNO DOMINI DCLXX.

SANCTUS FARO,

MELDENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM FARONEM.

(Ex Gallia Christiana, tom. VIII.)

Sanctus Faro, qui et Burgundo-Faro, quasi Faro Burgundus, Burgundis quippe editus nobilibus, Pipinisi in pago Briegio natus parentibus Agnerico, uno proceribus aulæ Theodeberti regis Austrasiæ, et Leudegunda, fratrem habuit Chagnoaldum episcopum Laudunensem, sorores vero sanctam Faram et Agnotrudim. Post multos annos pie ac sancte consumptus in aula Theodeberti primum, deinde hoc rege mortuo, Theoderici Junioris et Clotarii II, patris Dagoberti I, cujus et referendarius legitur in veteribus diplomatibus, Faræ sororis exemplo invitatus, quæ monasticam vitam amplexata fuerat, ecclesiastico ipse sese sociavit ordini, postquam Blidechildis, quam duxerat uxorem, sacrum accepisset velamen. Defuncto interea circa annum 626 Gondoaldo, Clotario II rege annuente, populoque petente, factus est Meldensis episcopus. Cum sancto Amando consecravit, die 22 Februarii, anno 14 Dagoberti regis, altare monasterii Resbacensis, quod ejusdem regis jussu Audoenus construxerat. Elevationi corporum sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani adfuit IV Idus Junii 649. Subscripsit privilegio Landericus Parisiensis episcopi pro monasterio sancti Dionysii, anno 16 Clodovei regis. Sigillum quoque apposuit suum privilegiis quæ Einno Senonensis episcopus concessit suburbanis sanctæ Columbæ et sancti Petri Vivi monasteriis anno 3 Clotarii regis, necnon privilegiis Berthefridi Ambianensis episcopi pro monasterio Corbeiensi, VIII Idus Septembris, anno 7 ejusdem regis, et Drausii Suessionensis episcopi in gratiam parti-

nonis beatæ Mariæ Suessionensis, VI Kalendas Junii, anno 10 Clotarii. Suburbanum et ipse condidit monasterium sub titulo sanctæ Crucis et sancti Joannis Baptistæ, omniumque sanctorum, sibi quidem a saculo, episcopalisque muneris tumultu refugium, peregrinis vero, maxime Anglis et Scotis asyllum et diversorium. Hic excepti ab eo Adrianus, cum Romæ una cum Theodoro in Britannicam insulam jussu Romani pontificis anno 668 proficisceretur, Chilleus, quem ad Atrebatenses Christiana fide imbecillos misit, et Fiacrius, cui aptum monasterio condendo tribus ab urbe Meldis miliaribus locum e suo concessit. Ibi quoque sepeliri voluit. Defunctus v Kalendas Novemb. 672, quo die memoratur in Martyrologiis Usuardi et Adonis. Sacras ejus reliquias e terra levavit anno 1140 Andreas abbas hujus monasterii. Surius ad diem 28 Octobris Vitæ hujus sancti præsulis synopsis exhibet; Mabillonius vero saculo a Benedictino integram ejus Vitam auctore, ut videtur, Hildegario Meldensi episcopo, regnante Carolo Calvo imperatore scriptam primum in lucem protulit, quam tamen mendis et erratis seelere tam Mabillonius, quam Gointius, ad annum 672, demonstrant. Nec te moveat quod Hildegarius Faronem inibi dicat fuisse episcopum vicesimum apud Meldos; id enim dicit Waldebertum inter episcopos recensens, nec minus peccat quam cum ex male intellecta sancti Estastii Vitæ, Faronis Waldebertum et fratrem et successorem dicit.